

THESIS XXII.

Falsum est concordata a Romano Pontifice inita cum Principibus contractus bilateralis rationem proprie habere.

I. Materia circa quam *concordata* versantur est per se et ordinarie ea quae dicitur *mixta*. Mixta materia vocatur quae sub diversa ratione et ad ordinem religiosum et ad ordinem civilem spectare potest, et sic pro diversa ratione utrique subordinari auctoritati: cuiusmodi sunt bona temporalia clericorum, publica instructio, matrimonium, et huiusmodi; haec enim sub uno respectu ad temporalem felicitatem, sub altero ad bonum religiosum ordinantur. Propter subordinationem civilis auctoritatis auctoritati religiosae, cum in tali materia vel ius divinum vel ius Ecclesiae quidquam ad ordinem religiosum transfert, cedere debet civilis auctoritas; idque sine controversia contingebat cum civiles societates spiritu religioso informatae Ecclesiae auctoritatem reverebantur. Verum cum abrumpi caepit vinculum debita subiectionis, caeperuntque civiles societates sibi vindicare ius autonomiae ac velle se regere non secus ac si Ecclesia non esset; occasio nata est quasdam ineundi conventiones inter supremas auctoritates religiosam et civilem, quibus positive determinarentur limites ultra quos non deberet civilis auctoritas excurrere, et intra quos vellet se continere religiosa auctoritas pro bono pacis servando. Diximus materiam harum conventionum esse per se et ordinarie materiam mixtam. Ordinarie, quia fere semper in hac materia illae versantur: per se, quia cum talis materia ad utrumque ordinem referatur, locum dare potest et cuidam dissensionem et amicabili compositioni. Extraordinarie tamen et per accidens fieri potest ut materia harum conventionum sit res simpliciter religiosa, cuiusmodi est electio ministrorum circa quam ius aliquod civili auctoritati concedatur, vel res simpliciter civilis, cuiusmodi esset possessio quaedam temporalis puta feudum quod Ecclesiae donaretur. Auctores harum conventionum sunt supremae potestates in utroque ordine, religioso et civili, quae aliquid simul constituunt pro iisdem subditis qui utrique subiiciuntur potestati. Hinc non nisi pro christiana societate quae Romano Pontifici subest conventiones huiusmodi fieri possunt: fieri vero possunt cum Principe etiam non fideli, qui in hoc negotio se geret ut repraesentans societatem civilem quae est etiam christiana.

Quocirca hae conventiones ineuntur inter eos quorum unus est superior, nempe Romanus Pontifex, alter est subditus, nempe Princeps civilis; nam agitur de materia, in qua societas civilis christiana (etsi princeps ipse non sit christianus) subiecta est iurisdictioni Rom. Pontificis (Th. praeced.).

Forma qua iniri solent tales conventiones est forma contractus synallagmatici seu bilateralis qua mutua obligatio exprimitur servandi pacta.

II. Quaeritur utrum haec concordata sint veri contractus synallagmatici obligantes ex aequo utramque partem obligatione orta ex ipso contractu, ita ut altero invito nequeat alter recedere a pactis. Non est proinde quaestio cum de Rom. Pontif. disputatur, an deceat Rom. Pontificem servare quod pepigit, aut ex lege honestatis ad id teneatur, sed quaestio est an vi conventionis ipse ligetur, et erga alteram partem obligetur, non secus ac altera erga ipsum. Id quidem videri potest ratione habita formae qua conventiones tales inducuntur. Verum demonstrabimus 1° has conventiones non esse veros contractus synallagmaticos, nec Romanum Pontificem his obligari erga alteram partem obligatione propria contractus qua exercitium eius potestatis contra ea quae pacta sint impeditum sit et inane citra consensum alterius partis: 2° obligari quidem Principem obligatione obedientiae quae antea quoque debebatur, et quae huiusmodi conventionibus ab eo confirmatur: 3° tum vim earum formularum explicabimus quae rationem contractus synallagmatici indere his conventionibus videntur.

III. Sane 1° spectetur materia. Materia ipsa circa quam versantur istae conventiones excludit rationem contractus bilateralis. Agitur enim de rebus spiritualibus aut annexis ad spiritualia, quae nequeunt esse obiectum contractus: nefas proinde est arbitrari velle his conventionibus Romanos Pontifices instituere contractus bilaterales. Quaecumque autem forma his conventionibus addatur, nequit profecto materiam transferre in eam speciem quae ipsi repugnet; ideoque forma ei superaddita contractus bilateralis poterit quidem esse ipsi extrinseca et accidentaliter, non vero intrinseca et substantialiter.

2° Spectetur ipse actus conventionis. Ex una parte est societas christiana quae prout talis subest iurisdictioni Romani Pontificis, ex altera est ipse Romanus Pontifex Pastor supremus omnium christianorum: agitur de rebus quae subsunt iurisdictioni Romani Pontificis, in quibus societas christiana nullam auctoritatem habet, sed solum officium obediendi: Romanus quidem Pontifex auctoritate sua posset obligare societatem eam ad servanda omnia quae sunt de iure communi quaeque ab auctoritate Pontificis vim habent; ut tamen se accommodet infirmitati ovium excipit quaedam, et quaedam specialia statuit attemperata conditioni societatis, statuitque speciale ius quo ea societas christiana regenda sit, seu quo eam ipse regere vult. Nimirum huiusmodi conventiones non sunt nisi quaedam speciales leges pro regimine alicuius partis gregis christiani statutae a supremo Pastore:

sunt privilegium quoddam illi societati concessum; quae in quibusdam plus minus eximitur a iure communi: atqui repugnat superiorem concedentem privilegium sua concessione privilegii obligari: repugnat auctoritatem supremam sua ipsius lege ligari: ergo.

3° Spectetur natura Primatus. Ipse est plenitudo potestatis pro regimine totius Ecclesiae, quae immediate a Deo instituta est, et immediate singulis successoribus Petri confertur a Deo; quae eadem semper perseverare debet qualis et quanta instituta est a Christo: primatus enim Petri perennis esse debet. Iam vero perennitas huius plenissimae potestatis non postulat quidem ut semper tota exercentur, postulat vero ut semper, cum opus est et opus esse iudicat Rom. Pontifex, exerceri possit (cf. dicta Th. XI.) independenter a consensu subditorum, aliorumque; secus enim imminutus esset Primatus eo quod non esset amplius plenitudo potestatis. Et haec quidem potestas se exercendi independenter a consensu subditorum nedum valida sed et licita per se esse debet, est enim dos propria Primatus divinitus instituti. Neque ipse Romanus Pontifex vim huius plenissimae potestatis imminuere potest; existit enim ea in Ecclesia de iure divino, ipseque eius est depositarius non dominus. Repugnat ergo Primatui ut liberum eius exercitium a subditorum aliorumque voluntate iure impediatur, ut non amplius quaedam iure possit quae per se in plenitudine potestatis continentur; id vero contingeret si concordata forent contractus synallagmatici: ergo.

4° Spectetur altera pars quae in hac conventionem intercedit h. e. Princeps christianus sive vere sive fictione iuris quatenus repraesentat societatem christianam quam regit, et pro qua agit. Ipse non agit cum Romano Pontifice tanquam auctoritas independens, quia agit de iis rebus in quibus societas christiana subest iurisdictioni Rom. Pontificis: ipse praeterea nihil gratuiti confert Romano Pontifici, sed solum praestat quod iam debet: promittit scilicet sollemniter se servaturum leges a Romana Sede latis, praesidiumque et auxilium praebiturum pro communi earum observatione. Atqui repugnat per huiusmodi actum Principis ligari potestatem Pontificis: ergo.

Diximus secundo loco Principem obligari his conventionibus. Non obligatur quidem ratione contractus synallagmatici, qui nullus est, sed obligatur ratione subiectionis qua subest iurisdictioni Romani Pontificis, et ratione promissionis quam his conventionibus superaddit, quae non est promissio rei gratuita sed debita, libere tamen praestanda.

Corollarium. Merito idcirco definita sunt concordata: *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, summi Pontificis auctoritate edita, ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata.*

IV. Quo ergo spectant eae formulae concordatis supradictae quibus verbo tenus saltem mutua obligatio suscepta significatur? *Hanc concordiam vim et robur veri contractus et obligationis inter nos et regem Galliarum volumus obtinere*, inquit Leo X in concordatis cum Francisco 1° Rege Galliarum initis ac promulgatis in Concilio Lateranensi V Sess. 11^a ad abolendam haeticam pragmaticam sanctionem bituricensem, quod concordatum tot aliis viam stravit: similesque phrases in sequentibus occurrunt. Quoniam constat his conventionibus repugnare rationem contractus bilateralis, fieri nequit ut talibus formulis hic contractus significetur, et causa cur adhiberentur ea fuerit ut hae conventiones transformarentur in tales contractus. Lex vero interpretationis est quam ipsa logica naturalis suppeditat, ut si natura subiecti repugnet acceptioni propriae quorundam terminorum, hi sensu minus proprio qui subiecti naturae congruit accipiantur; contradictoria enim haud sunt admittenda. Cuius rei exemplum, ut iam viri docti adverterunt, Deus ipse subministravit. Constat enim Creatorem inter et creaturam foedus aut pactum proprie dictum intercedere non posse (cf. Lessium de perf. div. L. XIII): nihilominus Deus dignatus est promissiones suas liberas sub forma foederis aut pacti repraesentare Deuter. VII, 12 et pluries alibi. Quocirca sicut divinae promissiones et leges sub forma pacti divini exhibere licuit, ita haud absimili ratione potuerunt concordata, quae privilegia sunt pontificia, sub forma contractus repraesentari.

Non negamus tamen verum sensum subesse illis formulis, sensumque obligationis, sed dicimus eam obligationem significari quam natura subiecti patitur. Scilicet ex parte principis est vera obligatio debita subiectionis iurisdictioni Romani Pontificis, ex parte huius est obligatio fidelitatis quamdiu privilegium concessum utile sit iis quibus concessum est, cuius tamen rei iudicium penes ipsum concedentem utpote superiorem esse debet; fieri proinde potest ut in violanda hac obligatione Romanus Pontifex male agat et peccet, tenetur enim lege naturali et divina regere fideles recte; huius tamen violationis rationem reddet Deo non ulli homini; nam Romana Sedes ad nullius potest commeari iudicium. Quocirca quoties Romanus Pontifex ex plenitudine suae potestatis privilegium datum abrogaret; parendum esset: actus enim eius foret validus, nec aliquid praecipere quod esset peccatum revocando subditos ad ius commune.

Ratio proinde fuit cur Romani Pontifices in his privilegiis concedendis formulas eas usurparent quibus mutua obligatio significatur. Et prior ratio ea fuit quam diximus, ut nempe suam seriam voluntatem sollemniter testarentur ea servandi quoadusque liceret. Altera ratio petenda est ex unitate actus: cum enim hic actus a duobus

quidem procedat, sit tamen unus, et princeps vere obligetur ex obedientia erga Pontificem et Romanus Pontifex ex fidelitate; primum fuit unam communem formulam adhibere quae mutuum obligationem ut in contractibus bilateralibus fit significaret, cuius interpretationem ipsa materia et natura actus satis suppeditaret. Tertia ratio petenda est ex scopo huius actus, qui est *concordia* instauranda inter Patrem et filios non satis morigeros: porro in huiusmodi conciliationibus frequenter occurrit ut formulae usurpentur etiam inter Patrem et filium non emancipatum quae verbo tenus contractus bilaterales significant, re tamen vera in eum finem usurpantur ut clementia et liberalitas Patris manifestetur. Cf. hac de re egregiam epistolam Card. Tarquini (Civiltà Cattolica Serie 8. volum. 8. p. 132.).

THESIS XXIII.

Exigit quoque ius Primatus ut nulla auctoritas humana impedire licite possit communicationem Romani Pontificis cum quovis fidei; ut nullum sit ius illud quod Principes sibi arrogarunt atque exercere se dicunt per Regium placet seu exequatur: atque absurda sit appellatio quae dicitur ab abusu.

I. Haec non solum contra auctoritatem Primatus, sed generatim contra auctoritatem Ecclesiae pugnant, de qua in Proleg. §. XVIII. locuti sumus. Attamen quia horum iniquitas et iniustitia maxime patet cum adversus Primatum adhibentur, et potissimum ad eius immi- nuendam auctoritatem primum saltem et alterum sunt excogitata, ideo de his hoc in loco disserimus. Facile autem quae de auctori- tate Pontificis dicuntur pro universa Ecclesia, accommodari licebit Episcopis singulis pro suis Ecclesiis.

II. Itaque primo docemus nullam humanam auctoritatem posse licite impedire communicationem capitis Ecclesiae cum membris suis. Quod physice possit testatur experientia, at quaestio non est de vi physica, sed morali, hoc est de iure.

Ratio autem evidens est: nam Romanus Pontifex ratione Prima- tus est pastor immediatus omnium fidelium (Th. XIV), ius divinum officiumque divinitus impositum habens eos pascendi, quique vicis- sim eum audire et sequi tenentur, iusque habent eius directione et regimine fruendi: atque ius illud Romani Pontificis tum ratione ori- ginis, tum ratione finis praevalet cuicumque iuri potestatis civilis; est enim immediate a Deo auctore ordinis supernaturalis, et insti- tutum pro directione hominum in finem ultimum eumque superna- turalem. Nullum est ergo in principe ius minuendi iura Primatus, vel impediendi exercitium officii sui; minueretur autem ius et etiam

tolli posset, si ius esset in principe impediendi communicationem ca- pitis cum membris; desineret enim ius Romani Pontificis communi- candi cum ipsis: hoc porro iure desinente, desineret Romanus Pon- tifex esse eorum pastor immediatus, desineretque proinde Primatus, qui in potestate universali et immediata pascendi consistit. Ineptus porro esset et impius, qui Romani Pontificis potestatem in singulis re- gnis *exteram* appellaret: audiatur Clemens XI in Bulla *Accepimus*: « Ambigere non possumus quin horrore perfundendus sit quisquis illud (edictum quoddam praetensi tribunalis Monarchiae) legerit, dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit eo temeritatis perventum esse, ut *potestatis exterae* titulus Potestati illi adscribatur, quam nos per b. Petrum, eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam, et quae in indigno haerede non deficit: perinde ac si Si- ciliae Regnum extra terrarum orbem situm esset; cum neminem pene lateant verba illa, quibus inclitus Claravallensis Abbas Euge- nium III allocutus fuit: *Orbe exeundum est ei, qui forte volet ex- plorare quae non ad tuam pertinent curam* » (De Consid. L. III, c. 1).

III. Constat pariter nullum esse ius illud quod Principes sibi arro- garunt, quodque exerceri dicitur per literas quibus nomen fit *placet* seu *exsequatur*. Placitum istud definitur a Van-Espen (Opus de Pro- mulgatione Legum ecclesiasticarum, et Iur. Canon. P. II, T. 24, c. 6.) *permissio quam auctoritas civilis impertit bullis brevibusque pon- tificis, ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae, ut vim obti- neant in proprio statu*. Porro huius placiti ius dicitur inhaerens ex rei natura auctoritati politicae, et est quoddam ius se cavendi contra Ecclesiae usurpationes, vi cuius iuris auctoritas civilis declarat nul- lum habere valorem bullas et brevibus pontificia, ac quemlibet alium actum auctoritatis ecclesiasticae, qui permissione sua non muniuntur. Huiusmodi ius tributum est primum principibus Christianis, sed po- stulante logica infidelibus quoque concessum est. Haec dicitur *po- testas principis indirecta negativa in sacra*. *Indirecta* quia ratione se suumque regnum tuendi contra Ecclesiae molimina competit prin- cipi: *negativa* quia non in eo est ut condant leges, sed ut neget seu detrectet vim legibus Ecclesiae (cf. prop. 41. Syllabi). An talis reapse sit videbimus deinceps. Hoc ius una est ex libertatibus Gallicanis. Docet De Marca (Concordia L. II, c. 17.) « non solum Ecclesiae Galli- canae consensum expectandum esse ut novi canones (etiam a Con- ciliis oecumenicis in re disciplinari editi) vigeant, sed regi quoque eam sollicitudinem maxime incumbere: novasque leges executioni mandari non posse, si principum consensu expresso vel tacito desti- tuantur, etsi fortasse quam plurimis Ecclesiae Gallicanae proceribus acceptae fuerint ». Idem ius inter libertates gallicanas recensetur a